

F. K. 65

X3617375

Z e  
643

MEMORIAM  
PIIS MANIBUS DEBITAM  
VIRI MAGNIFICI,  
DOMINI  
D. QVIRINI HARTMAN.  
SCHACHERI,

ICTI, COMITIS PALATINI CAESAREI,  
POTENTISSIMI REGIS POLONIAE ET SERE-  
NISSIMI ELECTORIS SAXONIAE CONSILIARII,  
CURIAE PROVINCIALIS SUPREMÆ ET SCA-  
BINATUS ASSESSORIS, CIVITATIS LIPSIEN-  
SIS CONSULIS, ET TEMPLI NOVI CURA-  
TORIS SPLENDIDISSIMI, GRAVISSIMI,  
MERITISSIMI, ETC.

SCHOLA NOSTRA DIE CRASTINO,  
*H. E. D. XXII. MAJ.*

FINITIS SACRIS,  
IN AUDITORIO MAJORI,  
SOLEMNITER CELEBRANDAM,  
IDQUE INTERPRETIBUS LATINIS,

DUOBUS DISCIPULIS NOSTRIS, INGENIO FLORENTIBUS,  
FRANCISCO CAROLO CONRADI,

REICHENBAGHIO-VARISCO, ET

JOHANNE FRIDERICO SCHINCKIO,

CYNEA-MISNICO,

ILLO LIGATA, HOC SOLUTA ORATIONE,  
QUI SIMUL SCHOLAE VALEDICTURUS EST,

EXOPTATA SUA PRAESENTIA CONDECORENT,  
BENEVOLA ET PLACIDA AUDIENTIA EXCIPIANT,

VENERANDOS DNN. INSPECTORES,  
PATRONOS, FAUTORES ET LIBERALIUM

ARTIUM AMICOS,

LITERIS PRAESENTIBUS, M  
PEROFFICIOSE ET PERAMANTER  
ROGITAT.

M. GEORGIUS ANDREAS Vinhold/ R.

CYNEA,  
LITERIS FRIDERICIANIS.



Magnifico Doct Prof. J.

VIRIS  
ILLUSTRIBUS, AMPLISSIMIS, EXCEL-  
LENTISSIMIS, CONSULTISSIMIS  
DOMINIS,

**DN. ADRIANO STEGERO,**

CONSILIARIO, CÆSAREO ET REGIO ATQUE  
ELECTORALI SAXONICO AULÆ  
ET JUSTITIÆ,

SENATUS LIPSIENSIS PROCONSULI, ETC.

**B. DN. CONSULIS GENERO  
PRIORI,**

**DN. JOHANNI FRIDERICO  
TROPPANNEGERO,**

CONSILIARIO REGIO ET ELECTORALI SA-  
XONICO IN SUMMO APPELLATIO-  
NUM TRIBUNALI,

SCABINATUS ASSESSORI, ET CIVITATIS  
LIPSIENSIS SENATORI, ETC.

**B. DN. CONSULIS GENERO  
POSTERIORI,**

MEMORIAM HANC,

IN  
*DESIDERATISSIMI SOCERI MANES,*  
PIETATIS ET OBSERVANTIAE CAUSA,  
STATUTAM  
DEDICAT

M. GEORGII ANDREAS Vinhold.

M. Georgius Andreas Vinhold.

LIBERIS TERRITORIIS  
GÖRLITZ





Inostra Saxonia annuli instar habet: cuius gemmam niti-  
diffimam urbs Lipsia præfert: quæ, ut oculus corpus  
illuminat: ita fulgore suo reliquarum urbium compara-  
tionem vincit: & loci hujus amplissimi administratio a  
nullo homine satis digne geri potest: nisi is tantum inter  
cæteros emineat virtutibus: quantum ipsius urbis amplitudo admiratio-  
neque requirit: ut sol quidam medias inter stellas præfulgeat: beatè  
autem defunctus rem Lipsiensem præclare, quam diu ejus habenas re-  
gere contigit, & ingenti cum applausu civium moderatus est: nemini  
fore arbitror: qui nostram in laudando tantorum meritorum Con-  
sule audaciam non vituperet: tantum abest, ut eam aliqua ex parte ex-  
cusandam, aut tolerandam esse existimet. Virtutem ponderosis verbis  
extollere nemo valet: nisi qui virtutibus ipse gaudet optimis: quem-  
que moderata vita ratio, longo annorum usu exulta, propemodum ultra  
humanae conditionis sortem extulit: & prudentiam limis adspicit  
oculis: nisi quem rerum gestarum experimenta ad videndum acu-  
tum reddidere: pròpterea quod inter laudationem & facta laudanda  
quædam cognatio arcta similitudoque intercedit: ut plus etiam sapientiæ  
in laudante residet: quam in laudando opere vel magnitudinis, vel  
sublimitatis: iis contra deficientibus, metuere oportet: ne frigidis po-  
tius, quam nullis laudibus alterum, quem laudare volumus, rubore;  
nosmetipsos, qui laudaturi sumus, probro afficiamus: & ingenii culpa  
pulcherrimarum laudum segetem suffocasse magis, quam ad herbescen-  
tem viriditatem, quam effusa latitia posteritas alat, eliciuisse videamur.  
Hanc vero soleritatem ipse status vita nostræ nobis eripit, non ad clavum  
regiminis, sed in umbra scholæ sedentibus; neque in defendenda ornan-  
dave justitia, aut jure dicundo, sed in castris Minervæ ac literaturæ po-  
litionis operam navantibus. Enimvero & juventuti perfectionis, quan-  
tum ea in humanam imbecillitatem cadit, imagines exponere pluri-  
num interest: quo semper ante oculos habeat, in quod introspicere, quod  
contemplari, quod admirari possit: cuius obtutu aciores ad bene vi-  
vendum stimulos sentiat, atque ad imitandum inflammetur: nec virrus  
melius clarusque exsplendescit: quam si, ut Plato ait, oculis corporeis  
cernatur, & vivis Heroum exemplis adumbretur: & mihi imis infixa  
medullishæret perpetuoque hærebit B. Consulis inusitata & ferme in-  
comparabilis humanitas: cuius forma, annis abhinc sex coram sensu  
nostrorum occupans, nos totos sibi afferuit: neque unquam felicitatis no-  
stræ tam immemores futuri sumus: illam ut animis excidere unquam  
patiamur: & Familiaë superstis claritatem æstimatioque debita, amorque  
tenuerrimus, & multis retro temporibus injecta altiusque impella vene-  
ratio vel torpentes nos, & nescio quid verecundiæ meditantes, bene spe-  
rare tamen, & audentes esse jusserunt. Quapropter nihil amplius ob-  
stat conatibus nostris, quo minus memoriam Schacheri,  
non, quantum ipsius summa in patriam merita postulant, sed quantum  
nostra infirmitas culpanda quidem; at idcirco minus fortasse impro-  
banda

banda permittit, mediocri sermonis genere, quod alii sublimi fecerunt, prosequamur, speculum aliquod Viri Magni, radiis cœlestibus illuminatum amoris divini, cuius illuminatio refracta luce in Deum, in homines, & in semet ipsum refusa est, exhibulti.

Primus igitur amoris divini radius circa Consulē nostri ortum ac nativitatem illuxit; Nasci quidem in hominis facultate positum non est: sed omne id, quod parentes, avos, proavos, aut maiores, vocamus, a fortuna, aut rectius a cura Dei, illa rerum humanarum domina, dependet: & nascendi sors benefica pio æque ac impio, gentili atque a societate sanctorum alieno perinde, ut homini Christianorum sacris initia-  
to, tribui solet. Inter gentiles quoque multi generis nobilitate efflo-  
ruere: ut quondam apud Romanos Domitiae familie dignitas splenduit:  
cujus clarissimam felicitatem in eo collaudant Scriptores: quod præter  
Cn. Domitium, nobilissimæ simplicitatis juvenem, ad certum temporis  
spatiū, omnes ad Consulatum Sacerdotiaque; ad triumphi autem pla-  
ne omnes insignia pervenerint. Sed quemadmodum in avibus aquilæ  
non imbellem progenerant columbam: in quadrupedum genere leones  
gignunt leonem: & in plantarum regno myrrus myrtum producit:  
neque uyas dulces squalidis ex agris colligimus: ita multum valet ad  
virtutis indolem paterhus maternusque sanguis, neque facile naturam  
dediscunt virtutum egregiarum parentibus geniti: qui generosæ mentis  
igniculos, inde a luce natalium conceptos, non extingui a se aut sopiri  
finunt. Itaque in argumentum salutaris providentia, Filii minime de-  
generis Patrem, **Christophorum Hartmannum Schacherum**, Doctorem U. J. Consultissimum, Facultatis Juridicæ apud  
Lipsienses Assessorem, in Curia provinciali suprema Electorali & Ducali,  
& in Consistorio Advocatarum Ordinarij, urbisque Prætorem consulendo,  
patrocinando, censendo apprime insignem; nec non felicis uteri  
matrem, **Catharinam, Quirini Schacheri**, Senatoris, Ædi-  
lis & Templi Thomani Curatoris ex **Agatha**, nata Wrieppennigia,  
filiam hoc loco nominare fas esse ducimus. Hæc enim dulcissimo ma-  
rito filios tres Doctores Juris, unum Medicinæ, unum in militia Regia  
Polonica & Electorali Sax. Legatum superiorem pariens, sobole genui-  
na & ad res arduas olim olim efficiendas destinata auxit patriam: cuius fe-  
cunditatis auspiciæ Amplissimus Consul, ex quo an. M DC LIX. d. XX.  
Novembr. in hanc lucem est editus, ingenio & naturæ dotibus, portio  
haud sane postrema exitit. Repetenda hic ex Annalibus superiorum  
temporum alia forent gentis Schacheri lumina, præclaris Majorum  
imaginibus conspicua: nisi illud nimis longum esset: & a Nostri mo-  
destia prorsus alienum, suo potius ornatu coruscantis, quam nitore gen-  
tilitio: & propria nos vehementius potentiusque ad se raperent. Ne-  
que tamen nobis temperare possumus, quin unicum Avum, **Quiri-**  
**num Schacherum**, D. & JCtum Antecessorem, Consiliarium  
Elect.



Elect. Sax. in summo Appellationum Confessu, in Consistorio Elect. & Duc. Sax. & Juridica Facultate Seniorem, Canonicum Numburgensem, & Academiæ Decemvirum, Virum ævo suo recte factorum conscientia & sanctimonia præcipuum, & vere alterum fori Saxonici Scœvolam, ejusque uxorem, **Annam Mariam**, Friderici Venus a Gravpen, Ser. Electori Sax. a sacri cubiculi ministerio primario, cohorti Prætorianæ in Electoratu & centuriæ militum stipendiariorum, urbique Witteb. Præfecti strenuissimi, filiam, honoris causa afferamus. Cumque apud vulgus parvi pendatur: quoicunque sub cælo malum aureum progerminaverit: quove in horto lilium flores protruferit: dummodo fructus ipse sua bonitate non careat pretio: sua pulchritudine ac præstantia oculorum sensus allicit: saporis dulcedine, vel odoris fragrantia gulam irritet; gustum denique grata voluptate perfundat: quoniam vero agrî natura geniusque loci, aerisque temperies non parum conferunt ad proventus uberes plantarum, & ad culturam exactiorem ingeniorum: nec, ticut tellus non omnis fert omnia: ita in omni terrarum tractu hominum solertium fertilitas atque copia offenditur: quin quo magis ab elegantia morum natale aliquod solum recedit: eo cupidius plerumque animus humanus a bonis moribus abhorrete deprehenditur: exinde liquido apparet: faciliorem in bene moratis civitatibus viam ad moderationem vitae aperiri: quam illis in locis: a quibus modestia & molliora pectora fere exulant: contraque senum ac juvenum mores sylvestrem naturam induerunt. Quare beatum se Magnificus noster Consul, cui natalitorum præ multis prærogativam non simplicem assignamus, jure suo prædicavit: non solum, quod ab antiquo semine bonorum duxit genus, patresque nobiles, fortes, probos est consecutus, neque ignoravit, quantum in eo positum fuerit, bona stirpe nasci: sed etiam, quod Lipsiæ natus, in urbe celeberrima, artium doctrinarumque studiis affluente, morum venustate concinna palmarum aliis præripiente: ut eandem & patriam haberet, & mentis officinam, & magistrum morum, & fortunarum sedem. Sic namque pronior ei fortuna accidit ad degustandam radiantis in se amoris divini abundantiam in doctrinis percipiendis: quarum opera ad id tandem pervenit, Deo fortunante, supra quod in republica Lipsiensium ascendi non potest: five juris scientiam perfectam; five prudentiam rerum gerendarum exquisitam; five pietatem & fidem illibatam, dictorumque & factorum constantiam æstimemus. Vixdum puer, haustis elementis primis, quibus tenera ætas imbuitur, privata opera Pædagogi usus, quando celeriter arriperet, quæ tradebantur, annis suis jam tum maturior visus, ad majora festinato gradu contendit, ulteriusque processit: quam aut Parentum voluntas cogeret: aut docentis urgeret institutio. Quo celerius ob suam maturitatem, extra ædes paternas in Scholam publicam amandatus, Nicolaitanam patriæ ingressus est: qua in sede Musarum tales subinde adolescentes invigilarunt literis: qui postea suis laudibus & meritis perfuncti sunt amplissimis honoribus, suumque nomen, vestigiis usurpare publicæ impressis, ab oblivione vindicarunt. Audit ibi Doctores ea tempestate clarissimos, Dornfeldios, Thomasiros, Bolzios, Herrichios, Hoffmannos, ab eruditionis apparatu instructissimos,



fimos, præterea docendi vi laudatissimos; & audivit eo usque: donec literarum humaniorum campum emensus, altiorum studiorum ac disciplinarum capax redderetur. Reliquit ergo deinde umbram Scholæ: & ad lucem Academicam patriæ splendidissimæ accessit propior: postquam honorandis Praeceptoribus suis, de jacto feliciter sapientia olim promenda fundamento, debitas gratias perfolvit: quorum in se docendo fidem, candorem, industriam, prudentiam in reliqua vita adeo non texit, vel abscondidit, non oblivione delevit: ut contra ea piis laudibus, quotiescumque occasio daretur, coram aliis efferret: & compensare tantum boni pro virili parte studeret: quorum etiam nomina & merita, literis consignaturus fata sua, in sempiternam suorum memoriam, sigillatum quaque de meliore nota meminit ac perscrpit. Jam mensis Aprilis anni M DC LXXVIII. advenerat: & nundinæ vere novo in patria solennes appropinquabant: cum in Academicorum album referri se vellent, idque suspiciendi Patris potissimum autoritate: mox et sui voti damnatus, a Mich. Henr. Hornio, Rectore Magnifico, in Studiosorum numerum est cooptatus. Lucem fausti successus undique sibi emicantem, Deo clementer aspirante, persensit novitus reipublica literatæ civis in disciplinis Philosophorum, a quibus altioris sapientia auspicium fecit, opera limata adjutus magni Theologi & Philosophi, Val. Alberti, eo tempore doctrina gloria eminentis, & Ott. Menckenii, solidissimi rerum ad mores pertinentium Doctoris; quem ut phoenix, sicur illum veluti communem philomelam Saxonæ, veneratus est; sed & faciem discenti prætulit Joh. Alex. Christius, tunc fama nobilis Scabinus, inde Consul Lipsiensis & Templi S. Thomæ Curator: qui quidem studii Academicæ initia, Juris elementa instillando, cum dictis Duunviris expeditiora atque illustriora effecit: siquidem Schacherus tam diligenter horum ab ore pendere concupivit: quam valde ad suam metam attinere arbitrabatur, sapientia rerum divinarum & humanarum, jurisque philosophia munitum se prius & corroboratum, in prata Jætorum latius exspatiari. Fata autem sic tulerunt, suafore Parente, ut eodem anno lumen novum visurus extra terras patrias, ad Viadrum sese conferret, eo consilio, ut simul auram peregrinam captaret, simul peregrinationi majori paucos post annos suscipienda assueficeret, simul Francofurti inlytis ea ætate Jurisconsultis, Rhetiis, Stryckiis, Schulziis, Ursiniis; illis Pandectas; his primicias Juris civilis propinatis, operam daret. Interea pariter historiarum commentationes, rerum publicarum institutiones, progressus, augmenta, apices, declinationes, interitus, celebratissimo in hac prudentia præcursore Joh. Frid. Beermanno; quo Præside etiam de modis tractandi pacis negotia, pacis ipse amator integerimus, publice disputavit, diligentia pertinaci, alacritate indefessa, constantia nunquam interrupta percipiebat. Quanquam enim Lipsia viris consultissimis, Juris interpretibus excellentissimis, rerum publicarum ordinandarum ac dirigendarum moderatoribus, Historiarum magistris doctissimis diligentissimisque abundat: nescio tamen, quomodo nostram copiam, ad satianda desideria nostra, non satis interdum

copio-

copiosam putamus esse ; nisi ex alienis augmenti aliquid adjiciatur ; & plerumque mortales cupiditas quædam & voluptas trahit videndi non solum, quæ sunt ante pedes : sed & quæ procul posita, & labore ampliore paranda nobis esse intelligimus. Et nisi male calculum ponimus, varietas ejusmodi locorum & vicissitudinis hominem discendi avidum facile pœnituit neminem. Exacto triennii spatio, **Schacherus** Mufarum sedi jucundissimæ ad Oderam mense Julio valedixit anni M DC LXXXI. & iussibus paternis aurem præbiturus, ut filium decet, confestim reversurus fuisset in urbem patriam : nisi potior visa esset ratio : quæ Pomeraniam, Marchiamque Brandenburgicam perlustrandi occasione commodum oblata utendum suaderet : quibus provinciis, quantum reddituri festinatio permitteret, peragratis, a rotâ domo sua multas inter gratulationes intra domesticos Lares redux receptus est. Ubi quidem partes juris admodum jam pertractatas, ad summum doctrinæ perducturus, a Borniis, Schwendendorfferis, Ittigiis, Myliis, illis: Lipsiensi luminibus, sapientiæ Juridicæ publice privatumque prælucentibus, sibi lumen accedit splendidius, non sine augurio sagaciorum, fore aliquando : ut lumen in alios refunderet Jurisprudentiæ : qui ab aliis ante sibi tantum lucis tam feliciter, tam excellenter feneratus esset, editis præfertim jam tum in arena disputatorum tot speciminibus laude dignissimis. Jampridem eum cupido incesserat, nationum exterrarum regiones, urbes, indolem, mores, ritus & formas rerum publicarum coram contemplandi oculis, quæque in rem suam futura crederet, peregrinando experiendi: quo talem sibi sub alio etiam coelo compararet artem : cuius exercitio olim civibus patriæ emolumento, aut ornamento esse posset. Ita enim Philosophorum princeps, Plato, illis præceptum commendavit : qui aliquando ad gubernacula regiminis publici sedere desiderant : ut statim a teneris unguiculis ad bonorum se imitationem assuefacerent, atque a recte sapientium exemplis, quod maximo pere expertendum esset, caperent. Ivit igitur **Schacherus** Deo auspice; cui propugnatori fortissimo se suaque omnia sanctissime commisit: ivit comite vigilantia, animoque, munimentum inexpugnabile imbecillitati humanae, & metui fortitudinem, timendorum contemtricem, objiciente: ivit socia temperantia: cuius vi non minus corporum vires conservari, quam animorum resci sciebat : ivit modestia cinctus amabilis: cuius proprium esse novimus, inferiores non fastidire alto supercilium; neque foris deterioris homines despicer: ivit duce prudenter omnia circumspiciente: cui adhærens linguam parcam, frontem apertam, mentem clausam prætulit ; orsusque est iter ab urbe augustissima Berlinensem; inde per Ducatum Bremensem in Germaniam tendens inferiorem, per Frisiam Orientalem pervenit Amstelodamum: cuius urbis altitudo & potentia admiranda aliquantis per novum hospitem detinuit. Ulteriorem dehinc ingressus viam Belgii utriusque, Fœderati aigue Austriae perlustrans faciem, urbiumque præcipuarum statum ac fortunam dispiens, portum inde Gallorum in Angliam profecturis opportunissimum attigit, Caletum; inde, abjecta cunctatione, Magnæ Britannie in

oras perrexit: ubi, quod cursum peregrinationis parumper inhiberet,  
iterum invenit: diutiusque substitutus Britonum antiquis in sedibus:  
nisi justis de causis sibi retro in Galliam, & ad Gallorum ocellum,  
Lutetiam, maturandum putasset: cuius loci magnificentiam post mo-  
ras aliquas miratus, postremo Lipsiam suam, acceleratis itineribus per  
Campaniam, Lotharingiam, Alsatiam, Palatinatum et vicinam Thu-  
ringiam incolumis rediens salutavit; secumque illud Taciti, quod abiens  
secum portaverat, auctius domum reportavit: quanto quisque parator  
obsequio: tanto citius honoribus & opibus extolleatur. Etenim vix  
in urbem regressus natalem, fatis ita volentibus, honores Academi-  
cos a Patribus justitia venerandis rite petiit: petitos, lauro prima Ju-  
risperitorum sibi imposita, impetravit: postquam ad quaestiones explo-  
rantium ex voto respondens, pulchre steterat. Hæc illi prima ad pu-  
blicam famam janua; hic primus resplendentis divinæ lucis radius obti-  
git: ex quo omne suum tempus clientium temporibus tribendum ju-  
dicavit: neque anxie quaevit, quomodo ipse sua litaret fortunæ, aut  
genio, vel suo incubaret lucro; sed, ut afflictæ innocentiae supponeret  
manus, & opem poscentibus ope succurreret. Iste igitur pro causæ bo-  
nitate pugnans ardor paulo post vehementior factus, majorem in flam-  
mam erupit: cum Pater filii indulgens fortunæ, & munerum one-  
ribus prægravatus, causas in summo Appellationum Consilio, quaevae  
alias extra civitatem sua fides & prudentia in ipsum contulerat, procu-  
randâ deinceps filii curis permitteret: & cum anno LXXXIII. in Am-  
plissimum Senatus Lipsiensis ordinem reciperetur. Unde mirandum  
minime est: si annus proxime insequens Nostrum publice explicantem  
pro facultate Juris docendi, ut Patribus Academicis statutum est; si  
examen rigide sciscitantium sustinentem super variis argumentis; si de  
Laude Intempestiva disputantem pro Rostris Jætorum; si denique men-  
se Novembri inter cætera honoris insignia, purpura quoque Academica  
præfulgentem, adeoque ipsum laudibus tempestivis decoratum vi-  
dit. Haud cessavit heic provida Numinis benignitas, insigniter or-  
natum amplioribus munerum functionibus præficere. Quippe & Patri  
in Sacri Dicasterii confessu causas agenti adjutor datus, addita succedendi  
spe: & Viro summo D. Falcknero, in Curia Provinciali supra Ad-  
vocato Ordinario, substitutus, ad causas lege prosequendas; quam pro-  
vinciam, resignante laudatissimo Falcknero, auspiciis Clementissimis  
an. XCVI. confirmatam obtinuit. Et hæc quidem omnia, quantum  
boni in Schachero haberet patria, aperte declarabant; indicisque  
manifestis fatum propitium cœlitus demissum præ se ferebant. At  
multa adhuc profecto cumulationa expectabant eum: quando an. XCII.  
assumptus in Senatum, XCIV. CCI. VIII. XVI. Comitis provincialibus  
Saxoniæ deputatus interfuit; XCVIII. Prætor; CCVIII. Facultatis Ju-  
ridicæ, & mox Proconsul, Scabinatus Assessor factus; CCXII. a Cu-  
ria Provincialis Assessoribus commendatus, Mandato Regio ascitus in  
Collegium, & in Cancelleria Episcopatus Ingenui Misnensis Assessor  
Ordinarius; XLI. ad dignitatem Confulariem evectus, una Templi novi  
curatione

curatione eidem demandata (facit enim rerum pulcherrimarum cumulus, ut harum summas modo attingamus) talem felicitatem in hac mortalitate adeptus est: qualem inter fortunatissimos admodum pauci adipscentur. Quanquam vero in cæteris negotiis fere omnibus omnes ingenii corporisque nervos intenderet: quanquam fortuna secundis subiecta ventis ejus consiliis, conatus, laboribus nunquam non aspiraret; enītū tamen divinæ auræ clementia largiore splendore; cum fasces Consulares urbis pulcherrimæ ad ipsum delati, rebus Lipsiensibus præesse juberent. Tunc illud maxime agebat diu noctuque: tunc curam omnem, operam, studium, diligentiam eo convertebat; ne quid res publica, se Consule, detrimenti caperet: salus autem incolumentasque publica indies florere latius: majoribusque accessionibus omnium comoda augerentur. Nequaquam illi satis videbatur, communem causam civium florentemque Civitatis statum nullis oppressum fluctibus, nulla quassatam tempestate rem Lipsensem conspicere: quin neminem esse volebat: qui non in hocce malorum mari, quo jaſtamur, portum ante oculos cerneret; quo confugeret; ubi fractæ navis reliquias colligeret: ubi periculorum optarum exitum, atque ab ancipiti fluctuatione ipsoque naufragio locum tutum, portum tranquillitatis sibi paratum sentire.<sup>10</sup> Quocirca Palinuro Nostro id curæ cordique fuit semper, præcipue quando imperii Consularis habendas capeſſeret, corpus integrum Civitatis ejusque membra concordia stabili mutuoque inhabitantium amore inter se contineri: utrique regimini, Academico æque, ut Civili, murtuam constare pacem, amicitiam, æquitatem, jura inviolata, adjumenta æmula, palmam dubiam amicæ conſpirationis: utriusque felicitatem pari vinculo copulare: inter Senatores & cives gliscere certamen; illis pro commodis, pro exiftimatione civium invigilantibus; his pro veneratione, obsequio, parendi laude acriter contendentibus; mercatram novis auctibus crescere, & commercia cum exteris quoque non minui, sed angari; non labi, sed majoribus & novis incrementis stabiliri; non ad tempus breve, sed omne in ævum vigere: nullum peregrinum sine defensione finere, sicubi defendendi ratio pro ejus tutamine militaret; nullum desertum, vel derelictum pati: In ipso Senatu Nobilissimo eam gloriam manere: quod benevolentia sine fuso, fides sine corruptione, vigilia sine languore, labor sine defatigatione, custodia exiftimationis magna sine negligentia: quod autoritas suis nixa radicibus in Curia perpetuum sibi domicilium constituerint: officia porro civitatis sic dispensare: ut vacua dignissimis darentur: si qua ad securitatem publicam, ad robur, ad firmamentum urbis, ad rerum gerendarum nervum, ad perpetuitatem carentis fortunæ requirerentur: eorum procurationem, vel administrationem in primis ponere: maxime omnium vero piorum ac discentium societatibus providere; ne quid deefset ad bene beatæque vivendum; quod aut ad cultum publicum religionis, aut ad florem doctrinarum in Scholis publicis pertinere videretur: &, ne longum faciam, palmarium credere in rebus gubernandis Lipsiensi, Ser. ac Potentissimo Patri patriæ eam ipso opere mentem imprimi: ut confidat, quod res est, Lipsiam  
303  
pietate



pietate in Regem suum nulli urbium Saxoniarum cedere: Lipsiam in  
Saxorum terris habendam oculum, ea gratia fovendum, qua quondam  
Athenas aestimatas fuisse relatum legimus: quas victor Lysander, ab ami-  
cis quibusdam sollicitatus, ut excinderet, negavit, se commissurum, ut  
ex duobus Graeciae oculis, Athenis & Lacedaemoni, alter erueretur. Natu-  
rum ipsam Lipsiam per se gratia Regia frui: tum multo magis gratum  
esse Regi, Senatum Lipsensem suæ Lipsiae pupillam; medium autem  
pupillæ Senatus Praesides, seu Consules haber. Latissimus dicendi cam-  
pus mihi aperiretur hoc loco: si B. Consulis vitam virtuti simillimam de-  
pingere auderem: Pietatem, virtutum reginam, quantopere dilexerit:  
quam caducis immortalia, natvis æterna, fluxis & fragilibus perpetuo  
mansura, terrenis celestia anteposuerit: testabuntur S. Biblia ab electionibus  
creberrimis tories perlecta: testis erit ille ipse locus, quem sedens  
in Aede sacra occupavit: testes Verbi Divini Praecones, Schacheri  
fui reverentiam Numinis cum lætitia & gratulatione pia adspicentes:  
testes urbis incole, vultus ad meditationes celestes compositos oculis  
usurpantes gubernatoris sui: testes domestici omnes, & quotquot demum  
tam beati esse potuerunt, ut sacris ipsius studiis adessent. Qui pluri-  
mos non extremi ingenii homines à cultu publico avocare solet, morbus:  
is nostrum languore marcentem adeo non retardavit, non abstraxit: ut  
ne mortis quidem praesensio eum impediverit: quo minus Sacra frequen-  
taret; & hora fatalis ab operibus piis adhucdum calentem die solis oc-  
cupaverit. Homines literatos quanto honore affecerit, non ignorant  
illi, quibuscum ipsa eruditio eminens sermonem libenter facere con-  
sueverat. Bibliotheca Senatoriaæ aestimatores facile concedent: quam  
sollicitam pro ea, Excell. Gœzii ductu, usurpæ publicæ consecranda atque  
amplificanda impenderit operam. Nec simplex illi fuit eruditio; sed  
maturæ experientiæ speciminibus suffulta; sed sapientiæ spipata orna-  
mentis; sed prudentia, fæveritate ac lenitate temperata usque eo qui-  
dem; ut si eruditio tantis decoribus nobilitata morti posset subtrahi:  
Schacherius nunquam sepulchro inferendus videretur. Quanta ani-  
mi magnitudine, quanta deinde constantia laborarit pro justitia tuenda:  
quanta fortitudine valetudinem corporis interdum minus prosperam;  
quo animi robore casus adversos fortunæ excepit: quanta sollicitudine,  
quanta alacritate Consulare munus, quoties eum ordinis ratio imperare  
juberet, sustinuerit: quam somni parcus extiterit, vel leonis somnum  
dormiens: cum opus arduum moliri salus patriæ exposceret: quanta  
porro ingenii excellentia minas furiosorum reruderit, injutorum inju-  
rias eluferit, infidiorum astus declinaverit: quanta idem mansuetudine  
iracundiam insultusque temerarios concoxerit adversantium; ad ipsum  
confugientes præsidii causa qua commiseratione respexerit: qua comi-  
tate a se consilium auxiliumve petere volentes admirerit; neque  
quenquam a suo conspectu tristem passus sit discedere: civibus implo-  
rantibus quam faciles aures præbuerit, plenusque amore in medium con-  
suluerit: qua celeritate tulexit consilia, causas controversias deciderit, no-  
dos



dos implicatos solverit, negotia difficultia expediverit, de jure responderit, scripsiterit, rescripsiterit, vadimonia conceperit, libellos dederit: quantum idem placido ore populum allexerit, vexatam innocentiam defenderit, conscientiam violare sit veritus, amicus amicis, adversus nemini, fautor pauperibus, lētans cum lētantibus, tristis cum tristibus, in ægrotos misericors, respuens vanitates seculi, mortem appropinquantem meditatus: quantum contra tria mala imperantium fugerit, odium videlicet, superbiam, rigorem inclemrem: dicere jam verbis deberemus prolixioribus: nisi & famæ claritudo nobis injiceret manus, & Beatus non melius, nec facundius, quam prætereundo diceretur: tenui autem orationi hoc certe sufficeret dicere: fuit unus **Schacherorum**. Quare nobis nunc integrum esto, duos adhuc bonitatis divina radios adjungere prioribus, florentem statum familie, & mortis beatitudinem. Domesticæ felicitatis fundamentum in domum ejus intulerat **Juliana Maria**, major nara filia Viri Summi, **Joh. Frid. Falckneri**, in Brauswig & Jößewitz, J&iacute;ti Celeberrimi, Comitis Palatini, Confiliarii El. Sax. Curiæ Supremæ Provincialis El. & Duc. Advocati Ordinarii, in Senatu Civitatis Proconsulis & Syndici, post in Scabinatu Assessoris & Consulis civitatis Lipsiensis Excellentissimi. Illa enim Virgo lectissima an. MDC LXXXVI. in leges matrimonii transiens, annis succedentibus Maritūm fecunda satis prole beavit, partu editis **Juliana Catharina**, **Juliana Susanna**, **Quirino**, **Anna Juliana**; quarum filiarum prima XV. post nativitatem die; filius an. XCVI. heu gemitus inter acerbissimos parentum! festinato fato ex hac mortalitate emigrarunt. Tamen si vero orbitatem liberorum, pro indulgentia sua in sobolem ex se genitam, ægro admodum ferret animo: mortuorumque defidio subinde magnopere commoveretur; gravissimum tamen Conjugis suavissimæ obitu, qui in annum IX. post millesimum septingentesimum incidit, vulnus sibi inflatum esse non ore professus est magis, quam pectori sensit: cum pariter extinctam progeniem, charissima sibi pignora, pariter tori sociam, raræ pietatis matronam & dulcem utriusque fortunæ comitem, mortis violentia raptam sibi lugendam haberet. Et ipse quidem passus fuisset, magnæ alias constantiae robustique animi Vir, humani aliquid, dolorice longo & tenaciter insidenti propemodum succubuisse: nisi in Generis ambobus, cœlo annuente datis aliquanto post, ejusmodi fomentum sibi admotum intellexisset: quod omnem ægritudinis acerbitatem leniret microreremque menti impressum paulatim abstergeret. Cum enim prior ætate filia **Adriano Stegero**, Confiliario Cæfareo & Electorali Sax. posterior natu **Johanni Friderico Troppanegero**, in summo Appellationum Judicio Confiliario Regio & Electorali Sax. felicibus nuptiæ essent auspiciis: & illa quidem Venerando Dn. Patri IV. nepotes, singulos **Adrianos**, unamque neptem, **Fridericam Carolinam**; hæc autem III. nepotes, **Joh. Fride-**

Le 643 ZK

Fridericum, Quirinum Christophorium, Julium Fer-  
dinandum, totidemque neptes, Julianam Fridericam,  
Charlottam Wilhelminam, Amaliam Lovisiam, in Avi-  
gremium, tanquam sacra deposita effunderet: quibus hic totus gaudio  
delibutus, visus est sibi in horto quodam voluptatis delitiari, & suaviter  
ridentibus rosis recreari: tum sane Numinis indulgentia denuo con-  
firmatus, pristini, imo & presentis doloris, si quis forte in viceribus la-  
teret, sensus exuere cœpit; & mortis damna (si damnum vocari paret  
maturata in Domino decedentium salus) abunde feliciterque pensavit.  
Auxit eam refectionem & incredibili solatio auxit Coniux altera, Domina  
**Magdalena Sibylla**, nata Welschia, **Henrici Bornii**, Jcti  
Celeberrimi quondam vidua, singularis exempli Matrona, anno X. ad secun-  
da vota, vere secunda, transiens: cuius accessione, nomen Illustrē Bor-  
nianum cum Schacheriano Venerabili copulatum, nomini suo omnibus  
modis respondit, fontemque salutis, fontem solatii, fontem liquidi amo-  
ris in caput B. mortui, quandiu a tempore fœderis illius conjugalis vixit,  
copiose manantibus rivis deduxit ac derivavit. Quam conjugii beatita-  
tem Nobilissimus & Consultissimus **Bornius**, nomine, non re Pri-  
vignus, ne tantæ conjunctionis recordatio viva exolesceret, suo nomine,  
officii, amore, reverentia in filium convenienter totiens renovavit: quo-  
tiens filii pietas charitatem eximiam sui paternis maternisque animis  
imprimeret. Mortis denique benignum fatum in Nostro propterea agno-  
scimus: quod non potuit male mori; qui ita vitam suam gessit: vitam  
autem ita gestam non aliter finivit, quam gesserat. Neque nobis repenti-  
num mortis genus, quasi ictum fulmineum, quispiam objiciat: cum candi-  
datum æternæ gloriæ se singulis horis gesserit desideratissimus Consul pla-  
lide, quantumvis apoplexia percussus, linquens fucosas seculi blanditias:  
semperque femet accinxerit itineri, quod certissime sibi instare intellige-  
bat, utrum nunquam exploratum esset, annon eo ipso die. Ecquod vero  
genus moriendi beatius sit & lenius, dolorisque ægri magis expers:  
quam subita evocatione Imperatoris Opt. Max. has corporis exuvias de-  
ponere, & more stantis in specula militis, jussi Superioris, a statione sua  
sic discedere, ut miro volatu in cœlum evolasse videaris?

Nos verbum nullum addimus amplius. Tui ipsa, Lipis, (Te enim oculu-  
tam citamus testem) Tu inquam, ipsa, o pulchra, quandiu virtutem amabis,  
animam Schacheri sacram venerabere, tanquam spirantem adhuc in  
compage corporis: eique monumentum ære perennius excitabis in Tu-  
orum animis: quemque novo Templo illatum recordabere: ei tot templâ  
nullis oculis patentia fuscitabis: quot pectora numeras in tam humeroso  
populo tuo: & qui vivus optavit in Æde, cuius Antistes claruit, post mor-  
tem tumulari: hujus mortui memoriam pietatis cultrix vel Pario mar-  
mori incides: incides autem? imo jam incidisti: dum calentes, dum  
uberrimas etiam in funus ejus lacrymas effudisti.

Epitaph

mc



F.K. 65

X3617375

Z e  
643

MEMORIAM  
PIIS MANIBUS DEBITAM  
VIRI MAGNIFICI,  
DOMINI

D.QVIRINI HARTMAN.  
SCHACHERI,

ICTI, COMITIS PALATINI CAESAREI,  
POTENTISSIMI REGIS POLONIÆ ET SERE-  
NISSIMI ELECTORIS SAXONIÆ CONSILIARII,  
CURIÆ PROVINCIALIS SUPREMÆ ET SCA-  
BINATUS ASSESSORIS, CIVITATIS LIPSIEN-  
SIS CONSULIS, ET TEMPLI NOVI CURA-  
TORIS SPLENDIDISSIMI, GRAVISSIMI,  
MERITISSIMI, ETC.

SCHOLA NOSTRA DIE CRASTINO,  
*H. E. D. XXII. MAJ.*

FINITIS SACRIS,  
IN AUDITORIO MAJORI,  
SOLEMNITER CELEBRANDAM,  
IDQUE INTERPRETIBUS LATINIS,

DUOBUS DISCIPULIS NOSTRIS, INGENIO FLORENTIBUS,  
FRANCISCO CAROLO CONRADI,

REICHENBACHIO-VARISCO, ET

JOHANNE FRIDERICO SCHINCKIO,  
CYGNEA-MISNICO,

ILLO LIGATA, HOC SOLUTA ORATIONE,  
QUI SIMUL SCHOLAE VALEDICTURUS EST,

EXOPTATA SUA PRAESENTIA CONDECORENT,  
BENEVOLA ET PLACIDA AUDIENTIA EXCIPIANT,

VENERANDOS DNN. INSPECTORES,  
PATRONOS, FAUTORES ET LIBERALIUM  
ARTIUM AMICOS,

LITERIS PRAESENTIBUS,  
PEROFFCIOSE ET PERAMANTER  
ROGITAT

M. GEORGII ANDREAS Vinhold/ R.

CYGNÆ,  
LITERIS FRIDERICIANIS.



Magnifico Doct Prof. J.

